

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jacob Karsten

**De Differentiis Hypothecariae Actionis Contra Ipsum Principalem Debitorem Et
Contra Tertium Possessorem Institutae : Dissertatio Inauguralis Juridica**

Rostochii: Adler, 1806

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1005142300>


Druck Freier  Zugang





OCR-Volltext

RU jurist. 1806

Karsten, J. C. G.







DE

DIFFERENTIIS HYPOTHECARIAE ACTIONIS

CONTRA IPSUM PRINCIPALEM DEBITOREM
ET CONTRA TERTIUM POSSESSOREM
INSTITUTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

QUAM

AMPLISSIMO ORDINI JURECONSULTORUM
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

PRO GRADU

DOCTORIS UTRIUSQUE JURIS

RITE OBTINENDO

OBTULIT

JACOBUS CHRISTIANUS GUSTAVUS KARSTEN,
BÜTZVOVIENSIS.

ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS.

M D C C C V I .

1806

DE
DIFFERENTIA HYPOTHECARIAE
ACTIONIS
CONTRA IPSUM PRINCIPALEM DEBTORREM
ET CONTRA TERTIUM POSSESSOREM
INSTITUTAE

DISSESSATIO INGENIVALLIS JURIDICA

649

AMPLISSIMO ORDINI JURE CONSULTORUM
ACADEMIE ROSENBERGIANAE



JACOBUS CHRISTIANUS GUSTAVUS XARSTADT

ROSSTOCHIENSIS

LITTRATURÆ ACADEMIAE

MDCCCLXII

D
Depictio summi hypothecariae, quod superius scrip-
tum est, in idem esse possit, in idem esse posse
est, sed non in idem esse possumus, quod superius
dicitur, quod superius dicitur, quod superius dicitur,
quod superius dicitur, quod superius dicitur, quod superius dicitur,
quod superius dicitur, quod superius dicitur, quod superius dicitur,
quod superius dicitur, quod superius dicitur, quod superius dicitur,
quod superius dicitur, quod superius dicitur, quod superius dicitur,
quod superius dicitur, quod superius dicitur, quod superius dicitur,
quod superius dicitur, quod superius dicitur, quod superius dicitur,
quod superius dicitur, quod superius dicitur, quod superius dicitur,
I. Introductio.

Auctorum numerum, qui de Quasi Servianae actionis natura multa et acute et praeclare disseruerunt, permagnum esse, facile cuique apparebit, qui paululum in hac meditatione moratus, doctorum monumenta adiit eorumque libros evolvit; in recensendis tamen differentiis hypothecariae actionis contra debitorem et contra tertium possessorem institutae nonnulla peculiari tractatione digna nobis videntur.

Omnis autem differentia, quam subit hypothecaria, si contra debitorem et si contra possessorem agitur, ex propria huius actionis indole et singulari natura ipsius hypothecae, ortum ducit. Est autem haec institutis mere civilibus accensenda, quam ob rem omnis fere deductio ex jure naturali et philosophica demonstratio officium suum hic perdit, potius ad indolem rei indagandam unice legislationis positivae constituta sequamur oportet; quapropter leges interpretari et rite materiae applicare, nostrum nunc erit.

Erxleben (*), cum pignoris et hypothecae historiam bene illustrasset, recte fatetur, has constitutiones positivas juri naturae omnino non convenire, et merito affirmat *Klein* (**), hypothecam per leges publicas solummodo constitui posse. Singulare quidem est et omni juris analogiae contrarium, quod tertius facto alterius ad implendam obligationem teneatur, de qua sibi nullum fuerat negotium. Sane quidem ex omnibus, quaeque leges jubent et constituant, juris analogiae nil ita alienum esse invenimus, quam hypothecae constitutionem.

(*) de pignoribus. Pars gen. c. 2.

(**) Grundsätze der natürlichen Rechtswissenschaft. Halle 1797. §. 365.

Debitor enim hypothecarius, postquam creditori in securitatem crediti jus in sua re concessisset, eo consilio, ut id eousque habeat, donec debitum esset solutum, palam fatetur, hoc unicum debitum, de quo inter creditorem et debitorem tantum quaestio est, hypothecae causam dare: quid vero hoc debitum tertio obest? Certe quidem, cuim tertius in comparanda re hypothecae obnoxia, de dominio huius rei deminuto cōsensisset, ex cōsensu obligatur; praeterea vero, licet illud jam diu detritum huc referatur: „auctorem suo successori plus juris conferre non posse, ac ipse habuit“, prae sumitur tamen, hanc juris in re deminuti qualitatem ab auctore fuisse allegatam; tunc autem, cum vendor, qui non dolose rei vendenda hypothecae nexus tacuit, de hac rei qualitate emtorem inscium relinquit, nihilominus tamen b. f. emtor creditori hypothecario cedere condemnabitur. Num juris analogia tale quidquam unquam alias admittit? Evidem valde dubito! (*)

In contractu emtionis venditionis sanioris juris est, ut, postquam res duobus vendita fuisset, secundo emtori nulla actio competit contra priorem emtorem et rei possessorem, sed solus vendor ab eo est convenientius (Hommel Rhaps. quaest. obs. 883. n. 1.): quid est, quod impedit creditorem hypothecarium, quomodo unicūm solummodo debitorem principalem conveniat, plane omissis tertio possessori, immo si debitor non solvendo esset. Sed cum legi obtemperandum sit, simul creditoribus prospectum est, ne casu fortuito praerogativis suis, quas in rem habent, priventur, et ita jus hypothecarium publicis proclamationibus praediorum aut bonorum immobilium in judiciis causam dedit, ut novus rei possessor sciret, quae jura vendoris credidores in hac re sibi asseruissent.

(*) Recte docet Fenerbach (über actio in rem u. actio in personam in ejusd. civilist. Vers. p. 215.) omne id jus reale esse, de quo leges ita statuant; utcumque igitur erit, jus hypothecarium creditori jus praebet reale in bonis debitoris, licet accessorium sit juris personalis.

II. De natura et indeole actionis hypothecariae.

§. 1.

Licet hypotheca non solum per pactum, quod contrahentes adstrinxerit, sed etiam juris dispositione et judicis pronunciato constitutatur, omne tamen illud principale, quod hypothecae causam dat, obligationi cuidam debitoris innititur, et ideo juris personalis speciem praebet, ut recte Gajus observat: „contrahitur hypotheca per pactum conventum, quum quis paciscitur, ut res ejus propter aliquam obligationem sint hypothecae nomine obligatae.“ L. 4. de pign. et hyp. Hanc legem non absonam esse, sed fundamentum totius nostrae disquisitionis de hypothecaria actione praebere, liquet. Merito hanc legem laudemus et utique illi consentiamus: voluntaria enim hypotheca cum per pactum contrahatur, totum genus necessariarum hypothecarum per factum, obligationem personalem efficiens, comparatur, aut ut Bachovii verbis utar: „si initio nulla obligatio principialis adsit, nec pignoris obligatio constitui et consistere potest. (*)

Non itaque plus virium hypothecis necessariis (aut, ut dicuntur, tacitis) tribuitur quam voluntariis, nec obstat auctoritas *Africani* l. 44. §. 1. de damno inf., nec *Westphal* (**) quidquam contrarii docet, cum in ibid. citt. legg. 2. 3. §. 1. de reb. eor. qui sub tut. de maiore facultate magistratus super res pupillares ratione tutoris, sermo sit, non autem in genere de hypothecis publicis disseratur.

§. 2.

Notandum est etiam, quod facta quaedam per se dominium diminuant, quod personae in rebus suis competit, ita ut invito domino res hypothecae supponantur. Regulariter autem liberum arbitrium domini de hac sui juris diminutione statuit, in utroque autem casu non plus juris domino aufertur, quam quod revera ipsi competit, quo sit, ut in quaestione de jure creditoris in rebus hypotheca oneratis tempus factae constitutionis respiciatur; tunc autem,

(*) de pign. et hyp. L. 2. c. 1.

(**) vom Pfandrechte. §. 126.

cum debitor illa sui juris diminutione non sufficiat creditori ratione debiti, personali adeo actione recte erit experiendum, quod vero contra rei oppignoratae possessorem, qua talem, locum non invenit.

§. 3.

Hanc juris hypothecarii indolem legislatores semper ante oculos habuisse ex legibus de hac re latissimamente appareat; quamvis enim juris realis praerogativam hypothecis tribuant (quod ideo haud perperam instituerunt, ut creditoribus bene consulerent. §. ult. Inst. *quibus mod. re contr. obl.*) nullo tamen loco juris hypothecarii qualitatem adjectitiam negligunt, (*) quae vera est ratio et fundamentum, cui differentiae innituntur quasi Serviana actionis contra debitorem principalem et contra tertium rei hypothecatae possessorem institutae.

In his vero actionum distinctionibus, juris universalis et communis notissimas regulas sunt secuti legislatores (**). Congruum est enim, debitorem immediate cogi posse a creditore, ut aut negotium, quod est primum et principale, quodque inter creditorem et debitorem sanxit obligationem, impletat, aut sin minus hoc fecerit, in securitatem hypothecam restituat; a tertio vero nihil nisi implementum ejus, quod jus hypothecae desiderat, quaeri potest. Cum ergo contra debitorem actionis personalis cum reali cumulatio habeat locum, contra tertium unica tantum hypothecaria actio admittitur ad id, ut rem oppigneratam tradat. Deinde facta hypothecae constitutio et momentanea possessio rei creditor i praebet validum fundamentum suae actionis contra debitorem, dum tertius e contrario etiam desideret probationem, hanc hypothecae constitutionem recte fuisse perfectam, ita quidem, ut ipse tertius propterea

(*) Hoffacker princ. jur. R. G. §. 1169. — Inde etiam in litis aestimatione contra ipsum debitorem tanti leges creditorem jurare statuunt quanti vere debetur, contra tertium autem pluris. I. 16. §. 4. de Pignor.

(**) Regula enim est, illum quocum gestum erat, potissimum teneri, unde actio Pauliana contra tertium possessorem locum non habet. L. 9. quae in fraud. credit. Hoffacker I. c. III. §. 4592.

teneatur. Cum denique negotii principalis implementum praecipue desideretur, cumque hypotheca ob id sit constituta, ut negotium perficiatur, aequissime leges recentiores desiderant, tertium non ante debitorem compelli ut restituat rem. Postremo quod ad praeescriptionem acquisitivam attinet, haud absurdum est et regulis juris omnino convenit, quod is qui jure dominii rem possidet, exceptione praescriptionis ordinariae tutus sit et post 10 aut 20 annos actore in diurne silentem repellat, licet creditor ius integrum remaneat contra debitorem principalem. (*)

§. 4.

Actionem hypothecariam a legibus civilibus ad id introductam esse, ut res hypothecae supposita a quocunque eam possidente avocetur, sat et abunde in scriptis DDotorum est repetitum, neque minus constat, hanc actionem realem antiquitus ignotam fuisse. Tunc adeo creditor pignoratitius actionem pignoratitiam contrariam non habuit ad pignus a debitore possessum avocandum, sed unice ad id, ut damnum ei resarciatur, haec actio erat constituta, quo jure hodie adhuc utimur. Quaeri tamen solet, quid sit, quod secundum §. 7. I. *de act.* Justinianus de pignoris et hypothecae identitate quoad actionem hypothecariam, constituit? Marcianus enim, cum l. 5. §. 1. *de pign.* et *hyp.* inter pignus et hypothecam nominis sonum tantummodo interesse, dixisset, Just. hanc declarationem intuitu actionis hypothecariae limitat, et vera quidem haec limitatio! pignus enim et hypotheca indistincte a quocunque possessore per hanc actionem a creditore avocatur (**). Hanc itaque avocationem Justinianus respexit et ita pignoris et hypothecae identitas justa est; utrumque enim per unum idemque genus actionis vindicatur, ut adeo interdictum Salvianum et

(*) Sunt ergo differentiae huius actionis intuitu personae rei, tum externae, tum internae; illae ad cumulationem actionis cum pluribus diversi generis spectant, haec autem propriam et veram indolem actionis intuitu beneficii ordinis, probationis et praescriptionis concernunt.

(**) Böhmer Inst. L. 4. tit. 4. §. 7.

hypothecario et pignoratio creditoris competat, neutquam vero pignus hypothecae aequiparatur intuitu sententiae quam DD. defendant, puta eam, secundum quam actionis hypothecariae et pignoratitiae appellationem in legibus temere confundi, quod veritati alienum est: leges enim, quas cl. Thibaut(*) allegat, nil probant, nam in leg. 41. de pign. act. Ulpianus de vero pignore et actione pignoratio contraria loquitur; l. 3. §. 3. ad exhibendum argute inter pignoratitiam et hypothecariam distinguit, sola mentione de iis actionibus facta, quibuscum actio ad exhibendum rite cumulari potest. l. 9. pr. *quibus mod. pign. solvitur* Modestinus palam de vera pignoratio actione contraria loquitur; constat enim, emtori non contra emtorem sed contra venditorem agere licere, cum vero ob insequentem emtionem prior contractus pignoratius sit interruptus et vera intercedat emtio venditio, Ictus statuit, non ex contractu pigneratio (actione pignoratia contraria) sed ex emtionis contractu contra Titium venditorem agere debere.

Hoffacker (**) alias leges allegat, in quibus actionem hypothecariam promiscue pignoratitiam appellari, contendit: 1) l. 7. §. 12. *comm. divid.*, in qua de divisione pignoris inter creditores loquitur Ulpianus; qua facta, et uni ex creditoribus pignore adsignato, *licentia*, inquit, tamen non denegetur debitori, debitum offerre et pignus suum luere. Idemque dicitur et si possessor pignoris litis aestimationem pignoratitiam in rem agenti offerat; vox autem pignoratitiam, hic ad rem, quam creditor persequitur, non ad actionem, qua utitur, determinandam pertinet; licet non desint a Florentina lectione recedentes et *pignoratitia loco pignoratitiam* legentes; 2) l. 22. de. pign., ubi Modestinus ita: „Si Titio, qui rem meam ignorante me creditori suo pignori obligaverit, heres extitero, ex post facto pignus directo quidem non convalescit, sed utilis pigneratio dabitur creditori; quibus verbis quominus contraria pignoratitiam actionem subintelligamus nil impedit. (***)

(*) System der Pandecten. I. §. 880.

(**) l. c. II. p. 402. §. 1231.

(***) Westphal l. c. §. 115.

§. 5.

Leges perpetuo actionem hypothecariam et pignoratitiam probe distinguunt. Utraque enim ut actio in rem et in personam discernitur. Interdum quidem hypothecaria nonnullas actionis in personam virtutes induere videtur, siquidem contra ipsum debitorem movetur. Idque potissimum inde evenit, quod partim contra debitorem simul quoque ex obligatione recte agatur, partim ipsa oppignoratio licet per se injusta, tamen inter ipsum et creditorem juris effectu non caret. Notissimum est, *pignus rei alienae inter contrahentes valere*, licet neque domino noceat, neque contra tertium possessorem ex illo agendum sit. Ita Imperatores Diocletianus et Maximianus rescripsierunt: „Quae praedium in filios a se titulo donationis translatum creditori suo, se magis contrario pignoratio obligat judicio, quam quidquam dominis noceat; quum Serviana etiam actio declareret evidenter, jure pignoris teneri non posse, nisi quae obligantis in bonis fuerint, et per alium rem alienam invito domino pignori obligari non posse certissimum est.“ — Haec omnia sequens tractatio uberior illustrabit.

III. Actio hypothecaria contra debitorem tantum pluribus actionibus cumulatur, quae conjunctio contra tertium possessorem haud ita procedit.

§. 6.

Contra tertium possessorem creditor nil nisi ipsum jus in rem persequi potest, contra debitorem principalem autem, cum hac petitione aut alternative aut in subsidium ea omnia urgeri possunt, quae jure crediti s. in personam creditori competit. Hanc regulam confirmat Nov. 4. c. 2. his verbis:

contra principales et existentes apud eos res sive personalibus sive hypothecariis, mox sive ambabus uti voluerint: omnem ei damus licentiam quae dudum a nobis data est et viam et ordinem in aliis personis casibusque sancitum,

Quae quum ita sint, in primis iam adparet,

- 1) quod debitor principalis recte conveniatur ad praestandum usuras, nec non
 - 2) ad resarcendum expensas;
- quod tamen quatenus in tertio possidente locum habeat, jam videndum.

§. 7.

Ad 1) Usuras quod attinet, si contra debitorem agatur, unice tantum ad id respiciendum est, an obligatio ad illas praestandas reo incumbat, quae si dubio caret, perinde erit, utrum ipsum hypothecae jus usuras quasque attingat, nec ne. Recte igitur debitor principalis de usuris praestandis convenitur, nullo respectu habito, utrum ante perfectam oppignorationem, an post illam, usurarum stipulatio sit inita, ita ut usuras creditor recte urgeat, ex aliquo, quodecunque sit, capite, tum ex lege tum ex pacto debitas, adeo si hypotheca nec expresse ad praestandas usuras fuerit constituta, tamen ad earum resarcitionem creditor de re sibi obligata debitorem ad peram et saccum excutit, cum et pro totius debiti complexu hypotheca constituitur (*), et inter debitorem et creditorem valeat pactio adjectitiae qualitatis pactum hypothecarium illustrans, qua prior contractus vi majori contrahentes stringat et creditor in rem sibi jam hypothecae obligatam plus juris adquirat, cum in omnibus negotiis paciscentium voluntas respiciatur (**).

§. 8.

Longe aliter autem se res habet, si creditor contra tertium agat, quippe qui, cum actio in personam debitoris instituenda, illum non teneat, usuras quoque non praestat, nisi ex proprio facto ad eas praestandas obligetur, aut pignoris constitutio ita sit ab initio comparata, ut expresse usurarum causa data sit hypotheca, sicuti optime hanc quaestionem explicat *Weber* (***)�

(*) arg. L. I. §. 3. de pign. et hyp.

(**) L. 9. C. quae res pignori, add. *Weber* Erörterung der Frage: Ob und in wie fern das Pfandrecht sich außer dem Kapital auch auf Zinsen u. s. w. erstrecke, in seinen Versuchen über das Civilrecht. pag. 151. u. s. w. 191. II. s. w.

(***) L. c. §. 25. Hoffacker l. c. II. §. 1169.

§. 9.

Ad 2) Optime explicat *Weber* l. c. §. 17. necessarias expensas cum creditor pignoratius in pignore fecisset, debitorem ad resarcendum esse compellendum, et pignus eo usque esse retinendum, donec expensae redditae fuerint; his sumtibus enim omissis res oppignorata plane periisset et creditor se ipse fefelleret. Haec de pignore proprio sic dicto observasse sufficiat. In hypothecis, ab ipso debitore possessis, de impensarum restitutione quaestio vix oriri potest. Necessarii enim sumtus, quibus res ita conservetur, ut creditori securitatem praebere possit, per se jam ad onus debitoris pertinent. Utiles et voluptuosos suo nomine et periculo in re sua fecit debitor. Nunquam igitur propter impensas in rem factas debitor sorti solvendae quidquam deducere, nec plus exigere poterit, quam ut, hypotheca distracta, superfluum pretii, quod sortis et accessionum summam excedit, ipsi a creditore restituatur (*), quo contentus esse debet.

§. 10.

Secundum l. 29. §. 2. de pign. tertius b. f. possessor cum creditore merito sumtus in compensationem consert, quos ad domum exustam exstruendam fecerat. Cum ergo sumtus in restitutione aedium adhibiti, resarciantur, recte inde colligimus, omnes expensas necessarias, secundum juris communis regulas, tertio possessori resarciri debere. De utilibus et voluptuosis notissimae regulae valent (**).

(*) L. ult. §. 4. C. de jure dom. impetr. *Westphal* l. c. §. 199.

(**) L. 37. 38. 48. de R. V. — Africanus quidem in L. 44. §. 1. de *damn. infecto*, singularia quedam profert de sumtuum restitutione, quae tamen nostris principiis haud aliena: asserit enim, eum, qui a praetore in damnosae rei possessionem missus, recte a creditore sumtuum restitutionem desiderare, quod illi vero non concedit, qui ut emtor rem sibi comparavit, hic enim rem bene asservatam a venditore accipiat, nec re, cuiusvis sit conditionis, contentus esse debeat, quasi dixerit auctor: in omni casu dum expensae a creditore non restituuntur, debitorem conveniat possessor, quod est vero irregularē et contra juris analogiam, nec regula Africani ratihabenda, quoniam ad praestandam evictionem debitor quidem

§. II.

Fructus extantes ex hypotheca percepti, a debitore principali jure recentiore restituuntur, tum illi, qui ante litis contestationem adfuerunt, cum ei, quos lite contestata perceperat; quod idem valet de tertio b. f. possessore (*); uterque enim hoc casu possessor est considerandus, nullo respectu debiti principalis.

Solummodo autem fructus extantes tantum in computum veniunt, quoniam illi unice in securitatem crediti accipi possunt. Ideo contra tertium b. f. possidentem et debitorem de fructibus consumptis nulla disputatio, contra m. f. possessorem vero actio competit de dolo ad *omnem causam* restituendam. Regulam de huiusmodi generis vindicatione cit. L. 22. praebet, nec quidquam de majori creditoris hypothecarii jure, etiam fructus consumptos postulandi in cit. L. 3. ita scriptum est ut *omnes* fructus e re perceptos persequi possit. Restitutionem fructuum consumtorum desiderare, creditori ergo haud concedo, rationibus autem, quibus innixus *Voet* h. t. §. 3., minus adsentio, qui jus pandectarum cum jure Codicis confundit, quod perperam; placent autem admonitiones, quas profert *Westphal* (**), e quibus in pignore stricte sic dicto, creditor isque pos-

tertio possidenti sit adstrictus, minime autem ad restitutionem sumtuum, quos ex mero suo arbitrio in rem adhibuerat emtor. *Westphal* §. 134. 158.

(*) L. 1. C. de distr. pign. L. 3. C. in quib. caus. pign. L. 22. C. R. V. haec leges de pignoris indole generaliter loquuntur, statuentes, fructus e re frugifera perceptos cum ipsa re simul esse obligatos. Jure Pandectarum creditori vix licet fructus extantes de tertio b. f. possessore revocare; leges enim L. 1. §. 2. L. 16. §. 4. de pign. de iis tantum disponunt fructibus, qui aut ob pactum antea initum, aut de his, qui post litis contestationem percepti sunt; hic enim de tertio b. f. possidente recte petuntur, salva regula Pauli in L. 48. R. V. secundum quam a b. f. possessore fructus percepti adhuc extantes non restituuntur.

(**) §. 17. — L. 1. C. de distr. pign. et L. 18. de pign. act. hue non referri possunt, cum utraeque tantum pignus stricte sic dictum respiciant, quo etiam referenda sunt quae *Cocceji* habet J. C. h. t. qu. 9.

sessor rei obligatae jus habet in illos fructus, qui post factam oppignorationem nascuntur. In hypothecis quidem omnes fructus e praedio, creditori cedunt, postquam fundo hypotheca erat imposta, sed extantes solummodo ex juris analogia vindicantur, quo fit, quod intuitu fructuum extantium tantummodo jus hypothecarium valeat (*).

§. 12.

(*) Licet quasi Serviana actio, contra debitorem instituta, actionibus personalibus cumuletur, ipsa tamen, ut actio in rem ad id potissimum est comparata, ut creditor rem sibi obligatam, quam vero in possessione non habet, a debitore, legitimo modo, in securitatem suam revocaret. Hypothecaria enim actio, cum recentiori tempore creditoribus data esset, non ad analogiam vetustioris pignoratitiae est composita, nec generatim cum actione in personam, cui jungitur, confundenda est, et ideo recte docent, qui monent, ipsam actionem hypothecariam *per se* non ad solutionem debiti principalis tendere (**).

§. 13.

Actionem personalem ad solvendam sortem, cum hypothecaria conjungi posse, uno ore omnes consentiunt scriptores. Vetustiores quidem leges hanc cumulationem plane ignorant; formulæ enim actionis personalis cum illis in actione reali cumulationem non tolerarunt, sed Justinianus aequitatem et jus naturae cum sequeretur, hac de re legem supra allatam in nov. 4. cap. 2. ferre haud dubitavit.

§. 14.

Secundum hujus legis dispositionem actionum istarum combinationem admittendam esse, si *contra debitorem* agatur, liquet; verba autem legis tum cumulationem actionum, cum earum institutionem successivam permittunt. Recte igitur *Mercurialis*

(*) Thibaut I. c. §. 863. Hoffacker II. §. 1168.

(**) Weber I. c. §. 24. n. 49.

Merlinus (1), *Bachovius* (2), *Böhmer* (3), *Brunnemann* (4), *Huber* (5), *Berger* (6), *Stryk* (7), *Erxleben* (8), aliquae cumulationem istam in uno libello, hac forma ut reus aut soluat aut rem creditor i tradat, defendunt. Sed non minus recte se habet eorum sententia, qui in uno libello petitionem alternativam non modo admittendam esse ajunt, sed adeo successive et hypothecariam et personalem actionem instituendam esse contendunt, relichto creditori libero de hac re disponendi arbitrio. Ita docent *Westphal* (9) et *Mevius* (10), qui tamen hanc successionem arg. L. 41. de O. et A. et L. 19. de inoff. test., minus recte argumentari videtur.

§. 15.

Per se autem liquet, actionem in personam plane cessare, si creditor ex hypothecae distractione in totum satisfactum fuerit, et pariter quoque actioni quasi Serviana non amplius locum esse in reo, ab actione in personam penitus et per rem judicatam absoluto, quum pignus tanquam ius accessorium sine debito principali consistere nequeat.

§. 16.

Dantur quidem nonnulli casus, in quibus hypothecae persecutionem creditor habet, personali actione jam cessante. „Intelligere debes“, sunt verba L. 2. C. de luit. pign. „vincula pignoris durare personali actione submitta“; id quod praeter speciem, quam praecedens constitutio prima *ibid.* refert, in quibusdam aliis quoque contingere

(1) tr. de pign. et hyp. L. 5. T. 2. quaest. 60.

(2) de pign. et hyp. L. 3. C. 18. §. 1.

(3) de act. §. 101.

(4) de cumulat. act. S. 2. C. 2. §. 1 — 4.

(5) Pand. h. t. n. 8.

(6) Oec. J. L. 2. T. 5. §. 13. n. 2.

(7) us. mod. L. 20. T. 5. §. 2.

(8) de pign. §. 312.

(9) §. 279.

(10) dec. p. 8. dec. 189.

a Jureconsultis observatum est (*). Verum enim vero nullibi in hisce omnibus exceptio quedam a regula, quod pignus, debito principali plane cessante, consistere haud possit, deprehenditur. Valet potius haec regula sine omni exceptione, licet obligatio principalis ad mere naturales tantum pertinere, et tunc, ut verba cit. leg. indicant, vincula pignoris personali *actione* — non *obligatione* — submota durare possint (**). Id autem dubio caret, si tale quid forte acciderit, cum *indulationem actionum*, de qua hactenus mentionem fecimus, locum tunc non habere, sed creditori nil nisi hypothecae persecutionem superesse. (***)

§. 17.

Cum actio hypothecaria contra tertium instituta, sit mera actio realis, quae possessorem tantum qua talem attingit, nullam tolerat cumulationem; constat enim, extraneos propter debitum principale non esse convenientios. Concedunt autem JCti, quod tertius, si velit, debitum solvere, et pignus liberare possit, et L. 16: §. 3. de pign. et hyp. in probationem allegare solent, sed minus recte, ut opinor (†); verba enim: „in vindicatione pignoris quaeritur, „an rem de qua actum est, possideat is, cum quo actum est“ debitorem potius indigitant, ut non opus sit, plura disserere. Melius autem L. 12. §. 1. quib. mod pign. hue refertur, cum Paulus oblatione cuiuscunque possessoris credidores removeri, aiat. Fateamur autem, hac lege naturam quasi Serviana haud immutari, sed hypothecae persecutionem contra tertium possessorem unice per hanc institutam actionem intendi. Nam utut *possit* tertius, qui rem tenet, solvendo debito se ab actione liberare; tamen non *debet* solvere. Indeque agere contra illum ita non licet.

(*) Voet comm. ad Pand. Tit. de pign. §. 19. Westphal vom Pfandrecht §. 9.

(**) Weber von der natürlichen Verbindlichkeit. §. 104. ibique cit. DD.

(***) Rivinus de rite form. lib. in act. hypoth. §. 5. 6.

(†) novissime hanc legem male attulit Wittich einfaches System des heutigen Civilrechts, I. p. 131. §. 45.

Petitio alternativa, quae ex contractu contra tertium possessorem instituitur, qui promiserat, se facta debitoris praestitum, jure meritoque defenditur (*), regulam vero non mutat, ille enim possessor sensu juridico non pro extraneo est habendus et debitoris personam revera repreäsentat. Alias autem petitio alternativa semper obligationem alternativam supponit, quae tamen tertio possessori minime incumbit. Nec ista petitio contra illum ex cap. 5. X. de pign., ad quod DD. provocare solent, defendi poterit, quum ipsa, quae ibi occurrit, pontificis decisio formam actionis institutae diserte tanquam justam haud confirmet, potius intactam illam relinquat, et in favorem dotis generatim tantum definiat, reum mulieri ad restitutionem *dotis* esse condemnandum, quatenus de bonis fratrii sui (mariti) noscitur possidere.

Petitio ergo in Serviana actione, mea quidem opinione, ad id dirigatur, ut possessor cogatur, jus actoris agnoscere et praedium restituere, debito nondum soluto. Usu quidem forensi, libellus alternative concludens ex aequitate per nobile judicis officium servatur, ut recte annotat Rivinus §. 36. et Leyser severe contendit, legibus tamen et juris analogia aegre defenditur.

IV. Modus probandi differt, si contra debitorem et si contra tertium possessorem agitur.

§. 18.

Cum e sola hypothecae constitutione creditor jus contra debitorem acquirat, sufficit, si in agendo contra principalem debitorem probatur :

- 1) rem a debitore possessam vel in ejus bonis fuisse, tempore factae opignerationis, quod vero praesumitur, postquam sufficienter probatum est,
- 2) rem a debitore datam fuisse in hypothecae nexum (**). Quae utraque probatio contra extraneum altioris indaginis est.

(*) Rivinus l. c. §. 9. Vid. quoque Hommel rhaps. quaest. obs. 606.

(**) L. 41. de pign. act.

§. 19.

In instituenda actione hypothecaria probari debet, reum *nunc esse* possessorum.

Quod sequitur ex ipsa actionis indole; quae cum in rem sit, in illum tantum dirigi potest, qui dominium creditoris rei detentione immineat conatur, quapropter haec probatio desideratur, nullo respectu utrum contra debitorem principalem an contra tertium possessorum agatur. Onus probationis creditori vero sublevatur, si ex universalis hypotheca res quaedam individua et singularis avocatur, tunc enim universitatis facta hypothecae datio solummodo est probanda, nullo respectu omnis cuiuscunque partis sigillatim habendo.
L. 15 §. 1. de pign. et hyp. Merlini tr. l. c. L. 5. Tit. 1. quaest. 68.

§. 20.

Creditor probare debet, tempore factae hypothecae constitutionis a debitore hypothecario rem fuisse possessam, vel in ejus bonis eandem fuisse.

Cum enim in vetustiore pignoratitio contractu, ille necessario ipsam rem in bonis habere debuerit, qui eam in alium contulit, consentanea fuit constitutio, quod nemo jus proprietatis alteri cuidam concedere possit in rem, quam revera non habuit, qui hoc conatur, fraudulenter agit et in suam infamiam disputat, unde haec probatio contra debitorem persicilis est, et factae hypothecae dationis affirmatio sufficit (*). Difficilius autem contra tertium possessorum probatur, rem hypothecae fuisse rite subjectam, cum possessori exceptio competit, debitorem tempore factae hypothecae dationis rem in bonis non habuisse, quod actor probare debet (**).

Actori probationem incumbere, reum esse verum possessorum hypothecae ab ipso revocandae, facile claret; cum vero actori contigisset, alteram de his quaestionibus indubitatam reddidisse, alterius probatio in poenam adversarii negantis diutius non desideratur, ob Nov. 18. (***)

(*) L. 3. pr. de pign. et hyp.

(**) Schmidt Klagen und Einreden §. 491. Westphal §. 270, 272.

(***) Westphal §. 273.

§. 21.

Debitorem hypothecarium juste rem hypothecae supposuisse,
fiat probatio.

Rem unamquamque, quae in commercio est, rite oppignorari
et hypothecae dari posse, constat (*), libera enim in re sua manet
debitori disponendi facultas, neque jus ei denegatur, dominium
suum intuitu hujus rei imminuendi; si autem alienam rem possidet,
nullum sibi competit de ea dominium et nulla igitur dominii immi-
nuntio per hypothecae constitutionem locum invenit (**). Cum autem
illae res alienae subjungantur hypothecae, ipse debitor hoc impugnare
nequit, sed creditor recte exigit, ut amissa re, debitor aliam in ejus
locum offerat et in illa hypothecam constituat (***)¹. Praeterea non
expresse desideratur ut merum dominium competat debitori, sufficit
in hypothecae constitutione b. f. possessio (†).

§. 22.

Cum vero ex hoc in re aliena concesso jure hypothecario
creditor plenum non habeat dominium, consentaneum esse videtur,
illam rem alienam juri hypothecario non ita suppositam esse, ut
creditor a quoque possessore eam possit vindicare Ea propter
tertius possessor recte utitur exceptione, rem non rite hypothecae fuisse
subjectam; contra illum enim creditori ex hypothecae constitutione
utique jus non competit in re aliena, nisi sub conditione, si debitoris
facta fuerit (††). Quod idem valet de rebus eorum, qui plenam non

(*) L. 9. §. 1. de pign. L. 1. §. 2. quae res pign.

(**) L. 6. et ult. C. si aliena res pign. L. un. C. si communis res
pignori data sit.

(***) Hoffacker §. 1175. In contractu pigneratitio stricte sic dicto,
rerum alienarum oppignoratio secundum L. 12. §. 1. de distr. pign.
permissa est, unde creditor a debitore pretium rei evictae recte
repetit. Westphal §. 109.

(†) L. 18. de pign. Leyser Sp. 224. m. 3 & 4. Cocceji h. t. qu. 12.

(††) L. 16. §. 7. de pign. L. 5. C. si alien. res. Hoffacker §. 1172.

habent facultatem statuendi, ut pupilli, quibus non licet dominium suum imminuere (L. 1. pr. quae res pign. datae oblig. non possunt); insecura autem ratiabitio debitoris majorenitatem adepti, valida haec hypothecae constitutio habetur.

§. 23.

In omnibus his negotiis, quae non ab initio sunt corroborata, creditori non directa sed *utilis* competit actio hypothecaria (*), ut *Faber* (Err. Pragm. dec. 63. err. 1.) recte annotat, aegre tamen exinde deducitur, debitorem principalem, si contra eum agitur, necessario dominum esse debere, quod leges non respiciunt, sed hoc tantum emanat: in hypothecis contrahendis negotium perpetuo et ab initio rite peractum esse debere, cum tempus, quo facta est hypothecae datio, semper respiciatur (**).

§. 24.

Si adeo creditor sciverit, rem ab initio non rite hypothecae datam fuisse, difficilius contra possessorem creditori actio conceditur et facilior possidenti retentio est (***)� Quod cum contra debitorem principalem sit statutum, qui ob vinculum pacti intervenientis ad implendum tenetur, merito sit a minori ad majus conclusio, et fateamur ergo: tertium possessorem exceptionem doli generalis juste opponere posse. Contra autem, si creditor ignoraverit, rem pignori datam fuisse alienam, recte utilem actionem, si res postea debitoris facta fuerit, concedit *Hoffacker* (§. 1172.)

(*) L. 5. C. si al. res.

(**) L. 16. §. 1. de pign. *Westphal* §. 270. n. 300.

(***) L. 1. pr. de pign. Legis verba per se quidem clara, actori remedium denegant et ex sententia *Thibaut* (Pandectensystem §. 861. n. 6.) et *Westphal* l. c. huic creditori omnino non permittitur in foro agere. *Voetius* autem (T. III. L. 15. Tit. 3. n. 4. p. 653.) opinatur, verbum *difficilius* actionem non opprimere, sed graviori integratatis probationi innixam desiderare actionem. Minus prospere *Westphalium* refutare *Voetii* sententiam opinor, cum L. 42. de *usurp.* et L. penult. de *fund. - dor.* nihil luminis afferre contendat.

§. 25.

Creditor ergo nonnunquam a debitore principali ab agendo repellitur. Majori autem securitate defenditur possessor extraneus, qui debito principali haud adstrictus, recte utitur exceptione non rite constitutae hypothecae; quae sane vera exceptio non est, sed tantum negatio intentionis actoris, quae reo magis prospicit. (*)

§. 26.

Superest adhuc quaestio: num dominus, postquam heres factus est, hypothecam agnoscere debeat, quam defunctus ejus rei impo-
suerat? Due exstant leges de hac quaestione, L. 22. de pign. et
L. 41. pr. de pign. act., quae pure quidem negant, ex postfacta heredis
substitutione priori invalido contractui vires acquiri; nihilominus
autem L. 22. cit. actionem *utilem* pignoratitiam admittit, L. 41.
autem plane nullam concedit actionem creditori, nisi dolose egerit
heres. Ingenue quidem *Westphal* (1), *Baldwin* (2), *Donellus* (3),
legem priorem de pignoris stricte sic dicti virtutibus interpretantur,
posteriorem autem de vera hypotheca statuere sentiunt.

Auctor Voetius autem L. I. §. 9. *de postulando*. L. 8. *de collat.*
§. 2. J. *de usu*. L. 53. *de judiciis* allegat, quae omnino quidem
testantur, verba: *vix*, *aegre*, *difficilius*, actioni judiciali non
obstare; h. l. autem ratio legum L. 15. §. 1. *de pign.* L. 16. §. 7.
cod. L. 3. §. 1. *qui pot. in. pign.* L. 5. C. *si aliena res*, nostram
sententiam probant, hae enim leges illi tantum creditori utilem
concedunt actionem, cui res illa sub conditione est obligata: si
debitor postea dominium rei acquisiverit, nec vetant, contra malum
possessorem secundum juris analogiam quidquam adversi statui.
Papirianum in L. 8. *de collat. bon.* ita his verbis usum fuisse ac
in Leg. I. *de pign.*, jure asserit *Westphal*.

(*) *Zanger de except.* P. III. c. 26. n. 2.

(1) §. 115.

(2) *de pign.* c. 12.

(3) *de pign.* c. 7.

Quaerendum est autem, num hi domini heredes facti, revera debitores hypothecarii sunt aestimandi, ita ut, si ad tertium res venisset, creditor, postquam ab illo sit repulsus, contra heredem habeat regressum? Secundum juris analogiam (qua ei, contra quos utiles actiones admittuntur, certo respectu eis aequiparantur, qui stricto jure in obligatione sunt) illos dominos quasi veros debitores existimemus, et ideo contra ipsos actionem hypothecariam cum personalibus cumulatam moveamus (*), et sufficit, creditorem probavisse, rem in proprietate esse heredis, quam defunctus in hypothecae nexum dederat. (**).

V. Lex Justinianea de beneficio excussionis.

§. 27.

Secundum jus Digestorum et nonnullas Codicis leges, creditori permissum fuit, salva electione et debitorem principalem actione personali, et reali possessorem hypothecae convenire. (***) Aequitas quaedam legislatoribus suasisse videtur, ut hanc veniam concederent,

(*) Höpfner Comment. §. 109^r.

(**) Apertam antinomiam legg. citt. denuo a cl. Thibaut §. 862. affirmata. Hoffacker §. 1172. et alii JCTI negantes conciliare regulas legum intendunt, respicientes domini consensum, qui si denegatur, invalida est obligatio; quod fit autem inscio domino absque sua expressa denegatione, justum esse contendunt. Haec quidem conciliatio, licet leg. 41. haud satis congrua, nostrae opinioni non est aliena, cum id potissimum affirmet; dominum, obligantis heredem factum, omnino esse tenendum, illo unico casu excepto, si hypothecae datione expresse denegata, defunctus nihilominus tamen obligaverat rem. Videtur autem hoc non intendi per verba legis 41.: „sed si convenisset de pignore, ut ex suo mendacio arguatur, improbe resistit, quominus utilis actio moveatur.“ Verba *ut & ct.* de mendacio defuneti non intelligo, sed potius de falsa pronunciatione, qua dominus eluserat creditorem, propterea ipse dominus superstes ob fraudem suam condemnatur et creditori est actio concedenda.

(***) L. 14. 24. C. de pign. L. ult. D. de O. & A.

dum creditori interdum magis prospicit, opulentum et divitem principalem debitorem adoriri, quam pignoris possessorem, qui cum vix praedium parata pecunia comparasset, tenui familia laborans, praedio excepto nihil praeterea in bonis habuerit (*); interdum autem, actione contra egenum debitorem amissa, creditor tunc contra possessorem securus se convertit (L. 8. C. de pign.). Ob hanc autem a legibus concessam electionem, infelices rei a lubitu creditorum pendebant. Justa ergo et juris analogiae consentanea est illa Justiniani constitutio, creditorem antea principalem debitorem personali actione adoriri debere, donec tertium convenerit possessorem. Conceditur ergo per Nov. 4. c. 2. et auth. hoc ita L. 14. C. de pign. et hoc si L. 24. eod. tertio hypothecae possessori beneficium excussionis, et quidem pure, ut opinor, licet Doctorum sententiae inter se pugnant (**).

§. 28.

Verba legis sunt: „sed neque ad res debitorum quae ab aliis detinentur veniat prius, antequam transeat viam super personalibus contra mandatores et fidejussores et sponsores: siveque ad res veniens principalis debitoris, sive ab alio detineantur, et detinentes eas conveniens, si neque inde habuerit satisfactionem, tunc veniat adversus res fidejussorum et mandatorum et sponsorum: idem enim est dicere vel si quosdam habuerint homines ipsis sibi obligatos et qui hypothecariis actionibus sibi teneri possint. - - Et non solum hoc in creditoribus dicimus, sed etiam si quis emerit aliquid ab aliquo deinde acceperit eum quem vocat confirmatorem et moveatur in aliquo venditionis conventio contra venditorem facta: non adversus confirmatorem mox emtor accedat, sed adversus venditorem prius et sic ad confirmatorem et tertio loco contra detentorem.“

(*) per L. 9. pr. de dist. pign. adeo contra debitorem principalem regressus erat creditori apertus, si pignus venundatum, creditori de principali debito non satisfecit. L. 3. C. de pign.

(**) De beneficio excussionis longe disputat Merlinus l.c. L. 5. Tit. 2. quaest. 71.

In hac lege, qua beneficium ordinis personale, ut vocat Leyser (Spec. 225. med. 4.), creditori hypothecario conceditur, neutquam rei oppigneratae indoles respicitur nec utrum sit universitas an res singularis, utrum generalis hypotheca an specialis, nec utrum tacite an expressis verbis contracta sit hypotheca, sed ut ut res sit, possessori non erit evincenda, nisi prius debitor ob principale debitum fuerit excussus. Rerum enim universitate hypothecae data, cum pars sit in bonis debitoris, pars autem extraneo fuerit tradita, nihilominus tamen unice contra debitorem ad rerum integrum massam restituendam creditor agit, tum res ipsas, quae exstant, vindicando, tum earum rerum, quae absunt, pretium petendo. Cum enim illius universitatis oppigneratio nullam nisi specialem praebeat hypothecam, omnes et singulas res quasi Serviana actione creditor petit, et quidem secundum regulam prius debitorem et actione reali et personali convenit; cum autem excusso debitore creditori non fuerit satisfaciendum, in possessores reliquarum et singularium rerum se convertens inde luitiō nem hypothecae desiderat; merito autem excipiuntur casus in L. 34. de pign. determinati, tunc enim debitor, si fortasse res singulas alienasset, ad solvendum debitum actione personali unice coērcetur, nisi per pactum quidquam alieni sit constitutum.

§. 29.

In hypotheca generali creditori quidem jus in omnia debitoris bona est concessum, ea autem cum reservatione universalis, ne plus e debitoris patrimonio creditor petat, quam ad sibi satisfaciendum sufficiat (*), hic igitur unam tantum et distinctam partem bonorum debitoris prosequitur, quam quidem ad capessendam ultimum adhibet auxilium (**). Praeterea autem, licet creditori jus eligendi esset permissum suoque arbitrio permissum, quamne rem potissimum exutere vellet, ordo tamen aliquis in hypotheca generali erat

(*) L. 1. C. de jure dom.

(**) L. 68. R. V. L. 21. §. 3. de pign.

praescriptus, secundum quem creditor sibi rem eligeret e bonis debitoris (*).

§. 30.

Cum autem juxta generalem hypothecam res quedam sit specialiter obligata, leges electionem plane liberam creditori non concedunt, sed hypothecam specialem prius excutere jubent, donec ad generalem eatur, unde possessori exceptio ordinis *realis* competat (**).

Haec ordinis exceptio realis licet juri civili maxime convenerit, tamen a doctoribus olim temere est dubitatum, an debitori principali hoc beneficium sit concedendum, nec ne? Leges inter debitorem et tertium possessorem non distinguunt, sed nude disponunt, debitore solutionem detrectante, creditorem res specialiter sibi obligatas solenniter vendere posse, ut appareat, an ex pretio pignoris creditori satisfieri possit? sin minus, caetera bona legitimo modo in solutionem petuntur. Verba per se jam clara et perspicua, ipsi debitori hanc exceptionem concedunt, ut argute demonstrat *Weber* (***)�.

§. 31.

Quaerendum est autem: num principali debitori omnino concedendum sit hoc beneficium, ita ut creditorem adeo ad tertium rei hypothecatae possessorem compellat? Praeeunte igitur *Webero* videamus, anne aliter se res habeat, si

1) debitor res specialiter obligatas, una cum iis, quae sub generali hypotheca comprehenduntur, possideat? aliter vero

(*) L. 15. §. 2. R. J. — L. 8. de distr. pign. vix hic referrem, si de hypothecis proprie sic dictis sermo est. Merito autem creditor generalis rem alii specialiter obligatam prius excutit, quam aliam rem ex hypotheca generali eligat. *Pufendorf* Obs. IV. Obs. 127. p. 239 §. 2.

(**) *Weber* I. c. §. 1. *Hoffacker* §. 1191 & 1192. — L. 2. C. de pign. L. 9. C. de distr. pign.

(***) Vom pignore subsidiario tacito in dessen Vers. über das Civilrecht, p. 115.

2) si extraneus specialis sit hypothecae possessor.

Primo casu, secundum legis expositionem, debitori hoc beneficium non esse denegandum, apparet (*); cito legg. cum unice quidem hunc casum respexerint et ideo nil incerti reliquerint intuitu ipsius, de altero tamen nil statuunt; quapropter nov. 4. c. 2. est consideranda, quae utique tertio possidenti beneficium ordinis concedit, unde debitor principalis antea est excutiendus quam ad extraneum eatur possessorem, ut igitur hoc casu debitor non gaudeat beneficio. Ita sponte ratiocinaremur, si unice nov. 4. respiceremus, et jure meritoque statueremus, in speciali hypotheca debitorem prius esse excutiendum, donec a tertio possessore res posset vindicari, ut iam supra memoravi; dispositus autem Justinianus in Nov. 112. id, quod difficultati ansam praebet, his verbis:

si autem hoc (creditoris satisfactionem) debitor non fecerit: damus licentiam creditori, qui rem venditam suppositam habet, eandem rem vindicare, donec ei satis pro debito fiat.

Legislator quidem jussisse videtur, debitorem non esse excutiendum sed potius a tertio rem esse statim avocandam, ut putant *Gothofredus* (1), *Huber* (2), *Böhmer* (3), *Mevius* (4), recte tamen sententia contraria defenditur, secundum quam, in dicta novella hypothecae specialis non generatim mentionem factam esse, contenditur, sed eatenus tantum, quatenus debitor hypothecam post litem a creditore sibi motam alienaverat, sicuti argute docet *Westphal* (5), cui assenserunt *Hoffacker* (6) et *Erxleben* (7).

(*) conf. quae cl. *Weber* et *Hoffacker* I. c. docent, quae nunc repetere supersedeo, ne in re perspicua nimis longus sim; aperte a veritate aberrant, qui contrarium defendant, ut *Leyser* sp. 225. m. 6.

(1) ad nov. 112. c. 1.

(2) Digr. ad Pand. 20. 1. 9.

(3) de act. §. 112. n. 2. β.

(4) decis. p. 2. dec. 286. n. 5.

(5) §. 278.

(6) §. 1235.

(7) §. 318.

Debitori quidem conceditur, rem istam obligatam alienare, ita tamen ut satisfaciat creditori, sin autem hoc minus fiat, tunc emtori non licet, rei possessionem retinere, sed cedat illam creditori. Sic ergo in favorem creditoris hypothecarii hoc statutum est, ut rem directe vindicet, nec actionem suam omittat donec principalis debitor excussus fuerit, neque possessori ullum remedium relinquit, nisi actionem personalem contra debitorem. Licet ergo hoc singulare in rebus, de quibus actio hypothecaria jam mota est, sit sancitum, regula nov. 4. c. 1. tamen manet in agendo contra extraneum, nec mutilata nec limitata intuitu rerum specialiter obligatarum.

§. 32.

Monet quidem *Voetius* (*), ordinis s. excussionis beneficio locum non esse relinquendum, si tertius sciens pignoris vinculum pignus nihilo minus emerit, quum jura deceptis, non item scientibus, subvenire ac parcere soleant, nec si tertius comparaverit demum rem obligatam post litem de re obligata contra debitorem jam inchoatam, — quod utrum sciens an ignorans fecerit, secundum Novellae citatae tenorem perinde erit habendum. — Et hactenus cum illo in contrarium disputare nolo. Sed quod generatim addit auct. acutissimus, cessare ordinis beneficium, simulac res specialiter pignori obligata a tertio possideatur, probare nequeo, quum regula n. 4. c. 2. per insequentem constitutionem nov. 112. haud sublata, sed id tantum definitum sit, ne sub praetextu rei litigiosae facultas rem obligatam alienandi debitori penitus auferatur.

§. 33.

Hypothecae tertio possessori recte quidem beneficium ordinis personale denegatur, cum certo constet, debitorem non amplius solvendo esse (**). Eadem ratio locum habet, si debitoris fidejussores bonis lapsi fuerint, qui autem ipsi a creditoribus prius non excutiendi sunt, quam debitor principalis se non solvendo esse declaraverat (***)�

(*) III. p. 666. L. 20. Tit. 4. n. 3.

(**) Erxleben §. 319.

(***) Hellfeld J. F. §. 1908. Huber h. t. n. 9. Brandenburg D. de fidejussorum beneficio excussionis §. 6.

§. 34.

Hoc quidem beneficium excussionis tertio possessori in omnibus hypothecarum generibus jure meritoque conceditur, ut jam supra monui. Contra fiscum vero, qui ob debitum tributum in rem agit, tertius rei possessor hoc beneficium ordinis male allegat, cum fiscus directe ipsam rem jure suo persecutatur, nec personae excusione movendus sit. L. 5. §. 2. de cens.

VI. *De praescriptione actionis hypothecariae.*

§. 35.

Cum notissimi juris sit, Servianam actionem contra tertium possessorum institutam secundum regulas praescriptionis acquisitivae ordinariae excludi, contra debitorem autem principalem extraordinaria praescriptione extingui, quaeri solet causa legislatorem movens, ut ita sanciverit et sortem utriusque personae distinxerit.

Hommelius (*) hanc distinctionem quidem irregularem nuncupat, eamque vehementer contra legislatoriae prudentiae regulas in omnibus simplicitatem suadentes valde impingentem. Haec vero ratio minus justa, si penitus eam perscrutaris, et omnino displicere videntur, quae obs. 519. n. 12. disserit. Merito enim id respicitur, quod leges in hypothecis ita caveant, ut inter debitorem et creditorem hypothecae nexus potissimum sit validus; ita facile apparet, legislatores rite hanc ordinationem fecisse, cum praeterea jure veteri esset sancitum, Servianam contra tertium institutam, sicuti personalem actionem, nullo tempore praescribi. L. 7. pr. C. de praescr. 30. v. 40. annor.

§. 36.

Justinianus autem, cum vitam Servianae contra tertium institutae intra limites juri veteri congruas finiisset, praescriptionem longissimi temporis intuitu debitoris principalis admisit et ita statuit: „jubemus hypothecarum persecutionem quae rerum movetur gratia, vel apud debitores consistentium vel apud debitorum heredes, non

(*) rhaps. quaest. VI. p. 76. obs. 720.

ultra quadraginta annos, ex quo competere coepit, prorogari &c.
L. 7. §. 1. de praescr. 30. v. 40. annor. Cum ergo jus vetus jussisset,
actionem hypothecariam contra tertium institutam triginta annos
durare, nihil in hac re mutavit imperator, ne utramque actionem, jure
veteri intuitu suae extinctionis distinctam, acquipararet.

§. 37.

Haec quidem intra longissimum tempus actionis hypothecariae extinctionio non per se quidem plurimos JCTos mirum in modum stupefactos reddidit, sed comparatio inter L. 1. §. 1. C. de ann. praescr. et L. 3. C. de praescr. 30. v. 40. ann. has regulas vituperare Doctoribus causam praebuit; actiones enim personales intra 30 annos abolieri, hypothecariam vero 40 annos durare imperatores jusserunt: quid autem, cur obligatio accedens potius adstringat debitorem, quam ipsa principalis obligatio? Cur obligationi principali et adjectitiae simul in uno eodemque momento non praescribitur? Videmus scilicet, in hac lege prescriptionis extinctioniae mentionem fieri, de qua recte docet *Weber*(*), quod per se obligationem firmam et satis stabilitam nec tollat, nec actori auferat facultatem alio quocunque modo jus suum consequendi. Creditor hypothecarius ergo, qui post 30 annos actione personali convenerit debitorem, exceptione prescriptionis merito repellitur, omni vero jure non privatur, et si contra debitoris personam minus prospere egerit, intuitu bonorum ejus auditur. Si haec pracepta servaveris, non perversa imperatoris constitutio, sed iuri communii consentanea tibi videbitur (**).

§. 38.

Contra debitorem non ex hypotheca solum, sed etiam obnexum personalem jus competit creditor, quod vero secus intuitu tertii possidentis, qui enim, postquam prescriptione acquisitiva res facta fuerit *sua*, jure dominii actiones quoque creditoris res vindicaturi repellit, si nimirum creditor intra longi temporis spatium 10. vel 20

(*) Syst. Entw. der Lehre v. d. natürl. Verbindlichkeit. §. 91. 92.

(**) Weber l. c. §. 110.

annorum, differentia rerum mobilium et immobilium hic omissa, tacuerit (*), ut *Gordianus* generaliter sanxit in leg. I. si adv. cred.

§. 39.

His vero id contrarium esse videtur, quod L. 7. pr. de praescr. 30. vel. 40. ann. dictum est. Auctores quidem legum antinomiam haud concedunt, quapropter cit. leg. 7. reliquis aptare censem, cum statuant, quod imperator h. l. possessorem malae fidei respexerit, quod vero minus placet: videtur enim Justinianus id operae pretium haud duxisse, denuo repetere statutum Gordiani de praescriptione actionis hypothecariae contra tertium institutae. De jure veteri animus fuit loquendi et ideo praescriptionis tricennialis mentionem fecit, nihil autem de illa jussit aut statuit. In hac lege enim unice de actione contra ipsum debitorem principalem instituta disseritur, et verbis dispositivis itaque indigitatur quid juris sit; de actione autem contra extraneum movenda lex nihil disponit, enarratio enim, quae est in principio legis, verbis enunciatiis prolata, nil juris statuit, nec valenti juri derogat.

§. 40.

Tali modo ergo in ordinem digeruntur regulae de praescriptione, intuitu actionis hypothecariae:

- 1) actio hypothecaria contra ipsum debitorem instituta, 40 annis exspirat. L. 7. §. 1. de praescr. 30. v. 40. annor.
- 2) si contra tertium possessorem est instituta, hic ipse possessor:
 - a) praescriptione acquisitiva innititur.
 - b) praescriptionis extinctivae exceptionem actori opponit.

Ad a) Hoc casu distinguitur:

- aa) Possessor rem usucaptam antequam hypotheca fuerat imposta, finito tempore legitimo, tanquam propriam acquirit, et actorem exceptione dominii repellit. (*Helfeld J. F. §. 1105. n. 2.*)

(*) *Faber Cod.* L. 7. Tit. 9. def. I.

- bb) Usucapione vero post rei hypothecam impositam demum impleta, possessor dominium quidem nanciscitur, sed cum onere hypothecae, quocum res transit, et male contra credito-reim hypothecarium praescriptionis exceptionem allegat. L. 44. §. 5. de usurp. et usucap. L. 12. pro emtore. L. 2. pr. pro herede. L. 1. §. 2. de pign. L. 7. C. eod. (*).
- cc) Cum autem diuturno silentio creditor hypothecarius rem usucaptam post 10 annos inter praesentes et 20 inter absentes non repetiisset, actori exceptio praescriptionis recte opponitur. L. 1. 2. C. si adv. credit. praescr. L. 12. C. de praeser. longi temp. L. 14. C. de O. & A. *Westphal* §. 247.
- Ad b) solo temporis lapsu actio hypothecaria post 30 annos exspirat, tunc ergo jus hypothecarium propterea pro consumo est du-cendum, quia creditor exceptione praescriptionis repellitur. L. 7. et. arg. §. 2. C. de praescr. 30. v. 40 ann. L. 3. eod. *Thibaut* l. c. §. 1217.

§. 41.

Minorennes aetatis creditoribus nulla nisi longissimi temporis currit praescritio. Salva iisdem igitur actio contra tertium posse-sorem etiam post X vel XX annorum decursum manet (**). Contra praescriptionem vero XXX annorum nec restitutionis in integrum beneficio fruuntur. L. 3. et 4. C. de praescr. 30. vel 40. ann. (***)

§. 42.

Differentiam actionis quasi Servianae contra tertium et contra ipsum debitorem institutae respiciunt etiam verba leg. 6. pr. quib. mod. pign. solv.: „liberatur pignus, sive solutum est debitum, sive

(*) Regula Gordiani in cit. L. 7. optime probat quae *Westphal* §. 246. praclare docet, quod magni scilicet intersit inter acquisitionem ipsius rei obligatae et jus e quo rei libertatem contra quemcunque contendimus. Conf. Preussisches Landrecht p. I. Tit. 20. §. 249.

(**) L. 5. C. in quib. causis rest. in integr.

(***) *Thibaut* System des Pand. R. §. 1231.

eo nomine satisfactum. Sed et si tempore finitum pignus est, idem dicere debemus. " Recte monet Leyser (sp. 234.), morosum debitorem per certi temporis lapsum ita ab obligatione sua, debitum solvendi, nec se liberare, neque rem hypothecatam posse retinere; bene autem tertius possessor hanc legem sibi allegat, et in hypotheca ad tempus constituta, actorem tempore finito agentem merito repellit (*).

De actione hypothecaria contra creditorem instituta.

§. 43.

Dicendum est denique de creditoribus contra quos creditores actione hypothecaria agunt. Qui cum debitorum nomine possideant, (**) revera ac ipsi debitores intuitu rei oppignoratae ab actore conveniuntur, unde:

1) actio hypothecaria contra creditorem intra 30 annos non exspirat; recte quidem in L. 7 §. 2. de praescr. 30 v. 40 ann. Justinianus jubet, actionem contra creditorem a creditore submotam, intra 40 annos exspirare, irregulariter tamen distinguit, utrum debitor communis inter vivos sit, nec ne: priori casu intra 40, posteriori autem intra 30 annos vult praescribi actioni, si per hocce temporis spatium post mortem debitoris creditor rem possederit, e contrario autem creditor secundus 40 annis opus habeat, ad actionem prioris excludendam, si tempus possessionis suae post mortem debitoris illi spatio conjungeret, quo durante vita debitoris aut ipse creditor aut debitor continuaverat possessionem. Non sufficient quidem rationes, e quibus legi suae adminiculum petit, sed tacendum est nobis et submittendum.

§. 44.

2) Creditor non habet beneficium excussionis personale, quamvis benef. ord. reale illi sicuti et debitori non sit denegandum (**).

(*) Hellfeld §. 1105. n. 3.

(**) L. 33. §. 4. de usurp. et usuc. L. 10. §. 1. de acq. v. amittenda poss. L. 35 §. 1. de pignorat. act. L. 21. §. 2. de pign. Savigny das Recht des Besitzes. S. 231.

(***) Hoffacker §. 1207.

Prius autem ideo creditori haud concedendum esse videtur, quia Nov. 4. late interpretari non licet, cum in hac novella tertii possidentes quidem nominentur, non autem illi, qui oppignoratam rem possident et debitoris principalis personam sustentant; qum vero nactus sit actor rem oppignoratam, reus idem exigere potest quod fieri debet inter plures creditores, si posterior anteriori debitum offert, exinde in hac actione jura prioris creditoris actoris secundo creditori victo jure meritoque ceduntur (*).

• 45.


3) Petitio alternativa contra creditorem vero non admittitur, quapropter aliter contra creditorem agatur quam contra ipsum debitorem; quamvis enim proprio nomine haud possideat creditor, plus tamen juris ab eo avocari nequit, quam in eum est translatum; rem quidem accepit sed cum onere, meliori itaque creditori cedere debet, pluris autem contra eum non est petendum, postquam praestantioris creditoris juri intuitu rei hypothecatae cesserat.


§. 46.


4) In probatione actor obligatur ad demonstrandum, rem sibi obligatam fuisse. Cum unicum factum hypothecae constitutionis et probatio, dominium debitori competisse, contra debitorem stabiliat actionem hypothecariam, idem valet de actione contra creditorem instituta; cum enim actor, se creditorem esse, docuisset, reo incumbit probatio, se potiore jure rem possidere, si uterque litigantium ab uno eodemque debitore hypothecam accepit; si vero haec probatio a reo omittitur, actor vincit, nec refert, quod prior de hypotheca convenerit, quam posterior traditam acceperit (**).


(*) *Westphal* l. c. §. 268. — In genere quidem creditori hypothecario beneficium cedendarum actionum competit, nullo respectu intuitu personae rei; fundatum est in L. 19. qui pot. in pign. Cum autem hoc beneficium directe ex indole actionis hypothecariae non fluat, nec suppeditet exceptionem, sed novo tantum actori novum agendi fundamentum firmet, silens transii in hoc meo specimine.

(**) *Westphal* §. 271. L. 12. pr. et §. fin. qui pot. in pign.









us autem ideo creditori haud concedendum esse videtur, quia Nov. 4. e interpretari non licet, cum in hac novella tertii possidentes quidem minentur, non autem illi, qui oppignoratam rem possident et deoris principalis personam sustentant; quin vero nactus sit actor rem pignoratam, reus idem exigere potest quod fieri debet inter plures ditores, si posterior anteriori debitum offert, exinde in hac actione a prioris creditoris actoris secundo creditori victo jure meritoque duntur (*).

• 45.


3) Petatio alternativa contra creditorem vero non admittitur, a propter aliter contra creditorem agatur quam contra ipsum debitem; quamvis enim proprio nomine haud possideat creditor, plus nen juris ab eo avocari nequit, quam in eum est translatum; rem idem accepit sed cum onere, meliori itaque creditori cedere debet, quis autem contra eum non est petendum, postquam praestantioris editoris juri intuitu rei hypothecatae cesserat.

§. 46.

4) In probatione actor obligatur ad demonstrandum, rem sibi ligatam fuisse. Cum unicum factum hypothecae constitutionis et obatio, dominium debitori competit, contra debitorem stabiliationem hypothecariam, idem valet de actione contra creditorem constituta; cum enim actor, se creditorem esse, docuisse, reo incumbit obatio, se potiore jure rem possidere, si uterque litigantium ab eo eodemque debitore hypothecam accepit; si vero haec probatio reo omittitur, actor vincit, nec refert, quod prior de hypotheca nvenerit, quam posterior traditam acceperit (**).

(*) *Westphal* l. c. §. 268. — In genere quidem creditori hypothecario beneficium cedendarum actionum competit, nullo respectu intuitu personae rei; fundatum est in L. 19. qui pot. in pign. Cum autem hoc beneficium directe ex indole actionis hypothecariae non fluat, nec suppeditet exceptionem, sed novo tantum actori novum agendi fundamentum firmet, silens transii in hoc meo specimine.

(**) *Westphal* §. 271. L. 12. pr. et §. fin. qui pot. in pign.



the scale towards document